



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743


Rupertus Abbas XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

brorum copiam describi curaret. Ad illum Erlungus Episcopus Wirceburgensis ortâ inter cives seditione urbe & cathedrâ pulsus confugit, nostro deinceps in Monasterio humatus. Altmanus ætate & meritis gravis diem extremum obiit anno 1113.

RUPERTUS ABBAS XIII.

Abbatis dignitate condecoratus fuit anno 1113. anno autem à suscepto regimine altero emit à comite de Gerlachshausen omnia ejusdem bona, eâ lege, ut ad mortem usque de necessariis vitæ alimentis Abbas noster Comiti provideret; certam singulis annis vini, cerevisiæ, carniûmque portionem subministrando: neque pænituiffe Comitem venditionis hujus indè colligimus, quòd Parochiam Gerlachshausen nostro Monasterio sponte suâ adjunxerit. Præterea tempora Ruperti Abbatis non parùm illustrat insigne miraculum, quod nostro in Monasterio contigisse annales perhibent. Hominem fuisse memorant à puero usu linguæ captum: is, dum pridie festi omnium Sanctorum Vesperas in Ecclesia decantari audiit, conceptâ subitò magnâ fiduciâ se in



genua abjicit, calentibus votis linguæ usum à Deo precatus; &, ecce tibi! carnis frustulum ex ore egerit, surgit, Magnalia Dei loquitur, præsentibus queisque audientibusque admiratione tanti miraculi defixis. Rupertus Abbas exactis cum laude 22. annis, ex quo in Abbatem creatus fuerat, migravit ad Dominum.

SÆCULUM IV.

*Ab Anno Christi 1115. usque ad annum 1215.
complectitur Abbates 9.*

Bopponem, Wolfframum, Theodoricum, Gumpertum, Sigenhardum, Gotswinum, Tragobertum, Gottfridum, Dietrimum.

BOPPO ABBAS XIV.

Abbatum Sæculi hujus 4^{ti} primus Boppo electus est anno 1135. Vir præstantissimis à natura ipsa ad gubernandum dotibus ità instructus; ut gravissimum sibi vulnus Abbatia inflatum fuisse senserit, dum eo adhuc anno morte præmaturâ illum extinctum esse vidit.

WOLFF-